



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Tit XIV. De consecratione Episcopi, & usu pallii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

§. 4. *Confirmanti quid incumbat.*

Illud verò confirmanti cavendum est, ne præceps sit in confirmando, sed personam electi & actum electionis diligenter exploret; & si ritè omnia confecta viderit, tunc confirmationis munus electo impendat, *d. cap. Nihil, cap. Cum nobis 19, cap. Venerabilem 14, Ext. de elect. Uode si electus coelectum, aut alium electionis suæ adversa-*

tium habeat, is ante confirmationem omninò citandus erit: aliàs generale & peremptorium edictum in Ecclesia, in qua electio celebrata est, proponendum, quo contradictores, si quis sit, moneantur & evocentur; cùm prætermissa hac observatione, confirmatio nullius momenti sit, *cap. fin. De elect. lib. 6.*

DE CONSECRATIONE EPISCOPI, ET VSV PALLII,
TITULUS XIV.§. I. *Episcopi consecratione matrimonium spirituale perficitur.*

Electo Episcopo & confirmato, restat postremò consecratio, quâ matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam suam, electione inchoatum & confirmatione contractum, consecratione tandem perficitur, *c. 1, c. 4, Ext. De translat. Episc.*

§. 2. *Consecratio intra quod tempus adhibenda.*

Quæ post confirmationem ultra tres menses protrahi non debet, nisi extrema necessitas cogat, tempus consecrationis prorogari, *can. Quoniam dist. 75, can. 1, dist. 100, vide Glos. penult. ad c. Si electio 26, De elect. in 6, quam commendat Panor. ad c. Cum in cunctis 7, §. cum verò n. 5, Ext. de elect. ut & Concilii Tridentini decreto plenius continetur, Sess. 23, c. 2, de reform.*

§. 3. *Consecratio à quo & quâ formâ explicanda.*

Consecratur verò Episcopus à tribus, ut minimum, ejusdem provincie Episcopis, jussu Metropolitanis, cæteris que Episcopis absentibus assensum suum accommodantibus: quamvis melius foret, si ipse Archiepiscopus unâ cum Suffraganeis suis hoc munus consecrationis obiret, *c. Si Archiepiscopus cum c. seqq. Ext. de temp. ord. can. 19 2, 3, 4, dist. 64, At Archiepiscopus ab omnibus Suffraganeis suis consecrandus est, d. c. Si Archiepiscopus, can. 6, dist. 64, can. Metropolitanum dist. 63, adde Henr. Boich. ad c. Nec episcopi d. tit. De temporib. ord. Quâ autem formâ hæc consecratio peragi debeat, supra recensuimus, §. clericis sup. De ordin. & grad. clericor.*

§. 4. *Post consecrationem beneficia consecrati vacare.*

Ubi meminisse oportet, consecratione Episcopiperactâ, aut elapso termino consecrationi

præstituto, omnia beneficia Ecclesiastica, si quæ habet Episcopus, ipso jure vacare; & ab eo, ad quem spectant, liberè conferri posse, *c. Cum in cunctis 7, §. cum verò & ibi Panor. n. 3, Ext. De elect. c. Cum nostris 6, circa fin. Ext. De concess. præb. Neque enim antè vacant, cùm consecratio Episcopi ex causa rejici possit à superiore, cap. Super his 16, Ext. De accusat. juncto can. 2, dist. 23, & can. 1, dist. 75, Glos. ad d. Cum verò.*

§. 5. *De Pallio.*

Illud præter consecrationem singulare est in Archiepiscopo, quòd huic Pallium veluti dignitatis suæ insigne communicetur à suo Patriarcha, vel à S. Pontifice, *c. Antiqua 23, Ext. De privil. dist. 100, portor. Hostiens. in Summa de auctorit. & usu Pallii, Nam sine eo, nec Archiepiscopi nomen sibi rectè vindicat, c. 2, Ext. De auct. & usu Pallii, nec ea, quæ Ordinis sunt Episcopalis, rectè exequitur, c. Quod sicut 28, §. penult. in in fine Ext. De elect.*

§. 6. *Quando utendum Pallio.*

Non tamen eo Pallio semper & ubique uti poterit Archiepiscopus, sed certis dumtaxat diebus, & in Ecclesiis Provincie suæ, *c. 1, c. 4, c. 1, 6, & 7, Ext. d. tit. De auct. & usu Pallii, Recensentur autem dies in Glossa ad d. c. 4.*

§. 7. *Episcopo interdum Pallium concedi.*

Interdum & Episcopo Pallium conceditur verum id extra ordinem, singulari S. Pontificis beneficio, *c. Cum in juventute 15, Ext. De presump.*